

« LAUDES ORDINIS B. MARIAE V.
DE MONTE CARMELI »

E SERMONE QUODAM MARIANO HENRICI DE LANGENSTEIN
PER MATTHIAM FABRI O. CARM. EXCERPTAE

Hoc anno Mariali 1954 «exeunte saeculo primo, ex quo Deipara Virgo Maria plaudente christiano populo nova gemma refulsit, cum... Pius PP. IX. eam fuisse sollemniter decrevit et sanxit omnis prorsus labis originalis expertem»,¹ non videtur absonum, laudes illas egregias in hominum mentes revocare, quibus Henricus de Langenstein, clarissimus universitatis Vindobonensis in Austria magister, ordinem fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmeli ob eius erga eandem sanctissimam Virginem devotionem olim in Sermone de Dei Genetricis assumptione anno 1385 habito mire ornavit.

I

Huic Sermoni iam saeculo XV. Matthias Fabri, ab Augusta Vindelicorum (Augsburg) oriundus, eiusdem ordinis sodalis, cuius vero Cosmas de Villiers et G. Wessels in historia sua litteraria Carmelitarum² non meminerunt, animum intenderat ac libro suo in bibliotheca nationali Austriaca asservato,³ in quo de angelis.

¹ Ex litteris encyclicis Pii PP. XII. «Fulgens corona gloriae» de die VIII. mensis Septembbris anno MCMLIII, in AAS, 45 (1953), 586s.

² *Bibliotheca Carmelitana*, notis criticis et dissertationibus illustrata etc. cura et labore unius e Carmelitis provinciae Turoniae, Aurelianis, 1752. Quod opus P. COSMAE DE VILLIERS addita nova praefatione et supplemento iterum edidit G. WESSELS, Romae, 1927.

³ Vide codicem ms. 4904 (Theol. 488), chart. lat. saec. XV. (1470?) foliorum 285, 4°, nitide scriptum rubricisque distinctum. Cf. M. DENIS, *Codices manuscripti theologici Bibliothecae Palatinæ Vindobonensis*, vol. I., pars II., Vindobonae, 1794, 1306-1312.

rum custodia, de votis, de clavibus ecclesiae uberioris atque fusius disputat, has ordinis sui laudes ex Sermone Henr. ci transscriptas cum aliis excerptis aliunde sumptis inseruerat. Ceteroquin iam in tractatu de clavibus ecclesiae, quem modo commemoravimus, capita e scriptis aliorum magistrorum deprompta inveniuntur, videlicet Alexandri Halensis († 1245), S. Thomae Aquinatis († 1274), S. Bonaventurae († 1274), Johannis Duns Scoti († 1308), Richardi de Mediavilla († ca. 1308), Henrici Flad de Norimberga⁴ quibus in reliqua codicis parte quaestiones variae accedunt argumenta potissimum moralia tractantes, quae si excipias, Johannis de Ragusio († 1443) tractatum contra Bohemos de communione sub utraque specie et ignoti cuiusdam Kiliani O. Min. Lecturas in libros Sententiarum, e scriptis magistrorum Vindobonensium Henrici de Hassia († 1397)⁵ Nicolai de Dinkelsbühl († 1431), Johannis Grösel de Tittmaning († 1467) sunt excerptae.

Memoratu sane digna videntur quae in fine libri adiunguntur: Sermo videlicet de assumptione beatissimae Virginis Mariae a Matthia Fabri anno 1468 in conventu Vindobonensi fratrum Carmelitarum coram universitate habitus,⁶ quo Sermone «Dei ge-

⁴ Fuit monachus O. Carm. et Commentarium in libros Sententiarum composuit, quem Matthias Fabri aliquoties adfert. E. APPALTRER, *Scrip-tores universitatis Viennensis*, pars I., pag. 8s. inter «plurimos, quorum opera, etsi ipsum lateant, tamen scripsisse aut certe constat aut solida conjectura est», sub annum 1414. «Fr. quendam de Nurenberga cum aliis ex ordine beatae Mariae virginis de monte Carmeli nominat. Henricus quidam de Norimberga anno 1442 in artistarum facultate ut magister actu regens, uti tunc dicere solebant, scholas habere coepit. Cf. J. ASCHBACH, *Geschichte der Wiener Universität im ersten Jahrhundert ihres Bestehens*, Wien, 1865, 604. Theologos praestantiores et notiores, qui supra commemorantur, in his annotationibus praetermittendos esse existimamus. De magistris Vindobonensibus disserit ASCHBACH in historia universitatis Vindobonensis.

⁵ Quaestionem a Matthia Fabri e Commentario Henrici in Genesim excerptam: «Utrum translatio Hieronymi sit sufficiens et adaequata Hebraicae veritati». Dr. theol., Lic. bibl. Ioannes Bauer in libellis periodicis *Gregorianum* editurus est.

⁶ Vide codicem 4904, fol. 255r-261v. Incipit: «Quasi palma exaltata sum in Cades, scribitur originaliter Eccli 24, sed transsumptiuem in presentis celeberrime festiuitatis epistolari officio». Explicit: «videamus assistere unigenito Filio Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre etc». Additur in calce minia nota: «Explicit sermo ad clerum de assumptione beate virginis Marie, factus in conuento Wiennensi ordinis fratrum Carmelitarum coram uniuersitate per fratrem Mathiam Fabri de Augusta, sacre theologie lectorem, anno 1468». De sermonibus academicis, qui illa aetate Vindobonae habebantur, vide notam 20. De qua re copiose disserunt praeter ASCHBACH, loc. cit., 105s., 293s. G. M. HÄFLE, Franz von Retz. Ein Beitrag zur Gelehrten geschichte des Dominikanerordens und der Wiener Universität am Ausgang des Mittelalters, Innsbruck-Wien-München, 1918, 10ss.; A. LANG, Heinrich Totting von Oyta (Beiträge z. Gesch. d. Phil. u. Theol. d. Mittelalt. XXXIII, 4/5), Münster i. W., 1987, 118ss.; IDEM, Die Katharinenpredigt Heinrichs von Langenstein, in *Divus Thomas*, 26 (1948), 236ss.

ntricem corporali assumptione, i. e. corpore et spiritu, ad Filii dexteram ineffabiliter sublimatam esse » diserte ac plane affirmatur,⁷ nec non duo Principia, i. e. primae lectiones seu prolusiones solemnes, quibus cursus b. blicos quos vocabant, alterum anno scholastico 1469/70 in secundam quinquagenam Psalmorum, alterum anno 1470/71 in Epistolas canonicas Petri auspicatus est.⁸ Quae quidem prolusiones usitato more tribus partibus absolvebantur: Prima erat, ut verbis Matthiae utar,⁹ « diuini auxilii invocatio »; secunda « theologicalis ac diuinalis sciencie in sacri canonis libris nobis tradite recommendacio »; tertia « graciarum habicio pariter et accio », qua viri in ecclesia et in civitate illustres, qui his actibus academicis aderant,¹⁰ pro cuiusque merito honorabantur.

Notis quibusdam in codice adiectis Matthiam Fabri in lectorem sacrae paginae capitulo provinciali ordinis sui Augustae

⁷ Fol. 261r. Et pergit dicens: « Quamuis autem secundum beatum Jeronimum [i. e. secundum Pseudo-Hieronymi] Epistolam ad Paulam et Eustochium, n. 2; *PL* 30, 128] hoc sit pocius pie oppinandum quam temere diffiniendum, tamen sancti doctores apertis rationibus probare nituntur ipsam assuptam fuisse cum anima simul et corpore ». Rationes, quas in primis adfert, S. Augustini esse tunc ab omnibus existimabantur, sed ille « De assumptione B. Mariae V. liber » (*PL*, 40, 1141-1148), unde depromptae sunt, revera non est eius, Cf. M. JUGIE, *La Mort et l'Assomption de la Sainte Vierge* (Studi e Testi, 114), Città del Vaticano, 1944, 285-91; et G. QUADRIO, *Il trattato « De Assumptione beatae Mariae Virginis » dello Pseudo-Agostino e il suo influsso nella Teologia Assunzionistica Latina* (Analecta Gregoriana, 52), Roma, 1951, 40-45, quorum alter Ratramnum, monachum Corbeiensem († post 868), alter Alcuinum, illustrissimum studiorum litterarum aetatis Carolingiae restauratorem († 804), illius libri auctorem habet.

⁸ Primum Principium (fol. 267r-278r), « factum per fratrem Mathiam Fabri de Augusta, baccalarium theologie, ordinis fratrum Carmelitarum, in solemi universitate Wiennensi anno 1469 circa festum omnium sanctorum », incipit: « In nomine summe atque semper benedictissime Trinitatis simplicissimeque deitatis Patris etc. Ex permissione et licencia inclite facultatis theologie, matris mee generose, doctorumque eximiorum eiusdem lecturo michi secundam quinquagenam Psalmorum prophete regii atque excellentissimi in eandemque ad presens principiatura tria occurunt michi peragenda ».

Secundum Principium (fol. 278v-285v) incipit: « In nomine sanctissime Trinitatis etc. Omnim rerum excellentissimo domino annuente ex dispositione et licencia theologie facultatis, matris mee venustissime, lecturus pro secundo cursu meo canonicas altissimi ecclesie syderis ac apostolorum principis, beatissimi Petri apostoli, iuxta morem solitum prefate facultatis duo pro presenti michi occurunt facienda ».

⁹ Fol. 267r.

¹⁰ Ita Matthias Fabri in lectione sollemni, qua primum cursum suum biblicum auspicatus est amplissimis verbis — cf. fol. 278r — gratias agit Matthiae, « monasterii beate virginis, wulgariter Scotorum abbatii predigno », Stephano, canoniae reg. S. Dorotheae praeposito, magistro Alexio de Drosendorf, « sacrorum canonum professori eximio ac curiae Patauiensis officiali dignissimo » - Vindobona illa aetate ad dioecesim Pataviensem (Passau in Bavaria) pertinebat -, Virgilio Schrottauer, « invictissimi imperatoris vices tenenti », Andreae Schenprucker, « huius oppidi magistro ciuium emerito », Martino Enthamer, « huius preclare ciuitatis iudici benemerito ». « fratri Johanni Carpentarii, sacre fronesis (i. e. theologiae, fronesis = φρόνησις) lectori, et fratri

anno 1467 celebrato promotum esse constat,¹¹ idemque «lector ac magister artium» ad primam tractatus de votis quaestio- nem: «Utrum omne votum vouentem executiue obliget ad comple- dum id quod voverat», «anno 1468 in alma uniuersitate Viennensi in crastino sancti Ludowici regis Francie» (i.e. die 26. mensis Au- gusti) respondisse traditur.¹² Anno post (1469) die 24. mensis Martii in eadem universitate respondit ad quaestionem: «Utrum soli sa- cerdotes noue legis in foro penitencie habeant claves regni celestis» et eodem anno in baccalarium sacrae paginae¹³ promotus est et «circa festum omnium Sanctorum»¹⁴ primo suo Principio lectionibus publicis ut cursor biblicus, uti tunc dicere sole- bant, prolusit. Concordant Acta facultatis theologicae, quibus ad annum 1469 notatur: «Item admissi et presentati fuerunt ad legen- dum cursus... magister Mathias Fabri de Augusta ordinis Carmelita- rum ad legendum secundam quinquagenam Psalmorum... In decanatu magistri Ruperti Weyssenburger de Prugk supra flumen Leyta electi ipso die gloriosi martiris sancti Cholomanni [i.e. die 13. mensis Oc- tobris] anni 1469: Biblicorum: Mathias Fabri de Augusta, ordinis Carmelitarum».¹⁵

Praeter opuscula, quae codex bibliothecae nationalis Austriacae complectitur, Matthias Fabri, postea prior conventus Augustani fac- tus, commentarium in regulam Carmelitanam, qui «Lucerna fratum Carmelitarum» inscribitur, anno 1491 compo- suit.¹⁶ Haec sunt, quae de vita et scriptis auctoris nostri satis litterati et inter coaequales haud indocti, qui aliena et propria complura in

Leonardo Praxatoris, sacre theologie baccalario formato, conuentuum Buden- sis (Buda, Ofen: caput et arx regni Hungarici) et Wiennensis ordinis fratrum Carmelitarum prioribus benemeritis», «magistro Johanni de Pfortzen, sacre theologie baccalario formato ac inclite facultatis artium decano».

¹¹ Fol. 13v in margine superiore nota miniata legitur: «Ad hanc que- stionem respondit fr. Mathias Fabri de Augusta, ordinis fratrum Marie de monte Carmeli, in conuento Augustensi anno Domini 1467 in capitulo prouin- ciali in festo sancti Jacobi apostoli [i. e. die 25. mensis Iulii]. Et in eodem promotus est in lectorem sacre pagine».

¹² Vide notam rubricatam in margine superiore seu in fronte folii 64r.

¹³ Fol. 118r in fronte minio notatur: «Ad hanc questionem respondit fr. Mathias Fabri de Augusta, ordinis fratrum beate Marie virginis de monte Carmeli, anno Domini 1469 in alma uniuersitate Wiennensi in vigilia nativita- tis beate Marie virginis et eodem anno promotus est in baccalarium sacre pagine».

¹⁴ Cf. notam 8.

¹⁵ Acta facultatis theologicae, vol. II. ad annum 1469. Post verba: «se- cundam quinquagenam psalmorum» notatur: «Item placuit facultati non ob- stante, quod magister Laurencius et magister Mathias etc. sint prius promoti quam alii, tamen adhuc debent tenere eundem ordinem et locum, ac si simul cum aliis sex fuissent promoti et ante alios non incipere lecciones, donec eis dicatur».

¹⁶ Vide codicem latinum Monacensem 4151 (Aug. S. Cruc. 51) in 2^o a. 1491, 331 fol., cuius etiam M. HEIMBUCHER, *Die Orden und Kon- gregationen der katholischen Kirche*, II³, Paderborn, 1934, 57, meminit.

codicem suum accurate scriptum sedulo congessit, codicem ipsum et Acta facultatis theologicae Vindobonensis penitus perscrutati invenire potuimus.

II

Iam vero his ad Matthiam Fabri in bibliothecis adhuc delitescentem in lucem famamque provehendum praemissis ad illud, unde digressi sumus, laudis paeconium redeamus, quod noster e Sermone Mariali magistri Henrici excerpterat. *Henricus de Langenstein*, dictus de Hassia (natus a. 1325), quem «studii Wiennensis fundatorem et lumen totius ecclesiae» celebraverunt,¹⁷ quem Johannes Trithemius «virum in divinis scripturis eruditum et in saeculari philosophia nobiliter doctum, ingenio praestantem, diffusum» vocat,¹⁸ primum Parisiis floruit, ubi anno 1363 ad gradum magistri artium promotus et anno 1375 lauream magistri in theologia adeptus, sacrae paginae professor atque vicecancellarius celeberrimae illius universitatis Parisinae factus est. Deinde schismate funestissimo exerto una cum aliis collegis et multis scholaribus, similiter ac ipse Urbani PP. VI. legitime electi partibus fideliter faventibus, Parisiis anno 1382 discessit. In Germaniam regressus mox ab Alberto III., Austriae duce, anno 1384 Vindobonam seu Viennam, uti medio aevo dicere consueverant, ad universitatem ibidem anno 1365 a Rudolpho IV. duce fundatam accitus est, ut eam viginti paene annis a fundatione prope collabentem denuo constitueret. Hoc munus tam egregie subiit, ut «Plantatoris gymnasii [i.e. universitatis] Viennensis» titulo apud posteros exornaretur.¹⁹ Fuit unus de primis doctoribus sacrae paginae in inclita facultate theologica, quam anno 1384 concedente Urbano PP. VI. tribus prioribus facultatibus ad studium generale Vindobonense complendum et confirmandum addiderunt.

¹⁷ ASCHBACH, *loc. cit.*, 380, not. 2., qui in historia sua universitatis Vindobonensis pagg. 366-402 Henrici de Hassia vitam et scripta exponit; item O. HARTWIG, *Leben und Schrifttum Heinrichs von Langenstein*, Marburg, 1858. Cf. etiam eruditum et luculentum tractatum a K. J. HEILIG exaratum *Kritische Studien zum Schrifttum der beiden Heinrich von Hessen*, in *Röm. Quartalschrift*, 40 (1932), 105-176; Henricus videlicet noster, dictus de Hassia et cognominatus maior vel senior, probe distinguitur ab altero Henrico de Hassia iuniore (Henrico de Altendorf), magistro Coloniensi, dein Heidelbergensi, qui postremo religionem Cartusianam professus prior et visitator factus est († 1427). Breviter de Henrico de Langenstein HEILIG agit in *Lexikon f. Theol. u. Kirche*, IV., Freiburg i. B., 1932, 924s.; similiter H. HURTER, *Nomenclator litterarius theol. cathol.*, II., Oeniponte, 1906, 690-694; M. GRAEBMANN, *Die Geschichte d. kathol. Theologie seit dem Ausgang der Väterzeit*, Freiburg i. B., 1933, 115s.; J. ZEMB in *Dictionnaire de Théologie Cathol.* VIII., Paris, 1925, 2574-2576.

¹⁸ *De scriptoribus ecclesiasticis collectanea*, Parisiis, 1512, fol. 146r.

¹⁹ Vide APPALTRER, *loc. cit.*, 44 et 52.

Rectoris magnifici officio anno 1393/94 functus paucis annis post diem supremum obiit (11. II. 1397).

Praetermissis scholis, scriptis sermonibusque, quibus Henricus de Langenstein, non solum in litteris sacris, sed etiam in philosophia, mathematicis, physicis, siderum cognitione bene versatus, in tota Austria et in Germaniae parte ad meridiem vergente gratias init plurimas, pauca solum de eius Sermonе Mariali, quem Matthias Fabri excerptis, commemorentur. Quem Sermonem academicum in modum tractatus paene theologici exaratum magister Henricus coram magistrorum scholariumque universitate — ad clerum universitatis, uti tunc dicere solebant²⁰ — die festo assumptionis gloriosae Deiparae anno 1385 Vindobonae in conventu fratrum Beatissimae Mariae Virginis de Monte Carmeli^{20a} fecit atque, ut erat vir pietate erga illam Virginem illibatam insignis, « opinionem, quod virgo Maria vere et realiter mortua fuit et ante incineracionem eius corpus resuscitatum », tamquam « christifidelibus probabiliorem et ceteris (sc. quas adfert opinionibus) anteponendam »²¹ strenue defendit. In hoc Sermonе adhuc inedito, qui incipit: « Quasi cedrus exaltata sum in Libano (*Eccli* 24, 17)... et legitur in ecclesia communiter et laudem Dei genitricis virginis gloriose », inter alia de triplici quoque Libano loquitur, in quorum quolibet virgo gloria eximiis effertur laudibus, et subdit: « Tercius vero lybanus esse potest venerabilis ordo fra-

²⁰ Cf. ASCHBACH, *loc. cit.*, 52, 58, 106. De diebus festis B. Mariae V. agendis ac sermonibus academicis habendis Statuta universitatis (a. 1385) haec habent: « Item quod in omni festiuitate virginis gloriose fiat Missa solemnis cum offertorio presente Rectore cum tota Universitate. Prima fiat in festo Purificationis in Ecclesia Sancti Stephani, si fieri potest conuenienter: Secunda in Annunciatione apud fratres Predicatores: in Assumptione vero apud fratres ordinis Beate Marie de Carmello, in Nativitate in Monasterio Scotorum: in Concepcione in Capella Beate Virginis in littore... Item, quod Facultas Theologie de certis sermonibus ad clerum Universitatis disponat et ordinet quantum ad loca, personas, predicationes et dies, prout magis ad Dei honorem et profectum Studii iudicauerit expedire ». Vide R. KINK, *Geschichte der kaiserl. Universität zu Wien*, II., Wien, 1854, 77s.

^{20a} In calce codicis Amplon. (Erfordiensis F. 167, circa annum 1395 scripti CONRADI J. HEILIC teste (cf. *Kritische Studien...* [vide supra n. 17], 170, not. 178), legitur: « Explicit sermo de assumptione beate Marie virginis Dei matris reverendi magistri Henrici de Hassia, factus ad clerum in conventu fratrum Carmelitarum Weyenne anno domini 1385 in festo assumptionis virginis Marie etc. » Carmelite anno 1360 Vindobonam ingressi primum in suburbio « Werd » (i. e. in Vindobonae, quae nunc est, regione II.) extra moenia considerant, sed monasterio iam anno 1386 incendio destructo in urbem ipsam ab Alberto III. duce recepti sunt, qui eis vetustam arcem ducalem (unde nomen « Am Hof ») aut monetam a Leopoldo VI. duce illuc translatam ad habitandum dedit, ubi magnificam ecclesiam in novem ordinum (vel chororum) angelorum honorem circa annum 1400 extruxerunt. Cf. K. SCHRAUF in *Wetzer u. WELTE's Kirchenlexikon*, XII², Freiburg i. B., 1901, 1500, et R. K. DONIN, *Die Bettelordenskirchen in Oesterreich*, Baden bei Wien, 1933, 250-254.

²¹ Vide codices bibliothecae nationalis Austriacae 4017, fol. 111rv; 4426, fol. 57rv; 4878, fol. 66r. Cod. 4226, qui exiguum tantummodo Sermonis partem continet, hic omittitur.

trum de Carmelo », quibus verbis exorditur illam eiusdem ordinis laudationem memorabilem, quam Matthias Fabri codici suo diligenter inseruit quamque collatis aliis codicibus bibliothecae nationalis Austriacae, quibus Sermo ipse continetur,²² ratione scribendi (seu orthographia) pristina servata in lucem edere iam pridem nobis proposuimus.

In hoc quidem Libano, i.e. in hac excelsa religione, quae a prophetarum discipulis derivata indubitanter dicitur,²³ Henrico teste, habitant Dei Genetricis cultores devotissimi eiusque praerogativa- rum elucidatores doctissimi atque defensores honoris patronae ipsorum invictissimi, qui praeter antiquos beatissimae Virginis detractores eos quoque, qui illa aetate Matrem Dei in originali peccato concep- tam eiusque corpus sanctissimum mortuum in tabem resolutum esse opinabantur, impigre ac strenue redarguebant. Quo igitur teste gra- vissimo, qui et ipse Virginis immaculate conceptae et cum anima et corpore in caelum assumptae propugnator erat praecipuus,²⁴ fratres beatae Virginis Mariae de Monte Carmeli illa « duo p rae- clarissima, quibus Deipara Virgo donata fuit, privilegia, qui- busque ut terrestris eius peregrinationis ortus ita et occasus ful- gentissima emicuere luce, omnimodam innocentiam ab omni labe immunem atque amplissimam virginei corporis glorificationem »²⁵ pietate singulari iam antiquitus credidisse atque coluisse omnino constat.

III

Nunc demum laudes ipsas ordinis Carmelitani, quas Henricus de Hassia in Sermone de assumptione gloriosae Vir-

²² Sunt codices illi, quos in nota superiore indicavimus. Commenda- tionem ordinis, de qua agitur, invenis in codice 4017, fol. 96r-97r, in cod. 4226, fol. 321rv, in cod. 4426, fol. 46v-47r, in cod. 4873, fol. 55v-56r, Excerptum autem ipsum Matthiae Fabri in codice 4904, fol. 262rv, quem nota 3. bre- viter iam descriptimus.

²³ Quod ut affirmaret, Henricus de Hassia « Speculo ordinis Carmelita- rum » ab ipso laudato (cf. notam 29), quo ordinis ab Elia propheta origo, per filios prophetarum propagatio, per Essenos, eremitas, monachos diffusio et suc- cessio continua copiose et abundanter exponuntur, adductus esse videtur. Quo etiam factum est, ut fratres Carmelitas antiquos haereticos, qui virtutes et praerogativas beatissimae Virginis plus minusve detrectabant, ut sectatores Ne- storii, Valentini, Photini, Helvidii, Carpocratis, fortiter impugnavisse asseveraret.

²⁴ Praeter Sermonem de assumptione B. Mariae V. alium luculentissimum Sermonem de conceptione eiusdem (immaculata) Vindobonae anno 1389 habuit atque librum « Contra disceptationes et contrarias praedicationes fratrum men- dicantium super conceptione beatissimae Mariae virginis et contra maculam sancto Bernardo mendaciter impositam » (Argentorati a. 1516 typis editum) conscripsit.

²⁵ E litteris encyclicis Pii PP. XII. « Fulgens corona gloriae », loc. cit., 583.

ginis dixerat quasque Matthias Fabri excerpterat, una cum eiusdem praefatiuncula in medium proferre iuvat. Pauca vero e Sermone ipso deprompta²⁶ excerpto illi, ut eius initium melius perspiciatur, uncis (...) inclusa a nobis praemittuntur.

P r a e f a t i u n c u l a

Nota commendacionem ordinis nostri, sc. fratrum beate Marie virginis de monte Carmeli, prout habetur in Sermone de Assumptione virginis gloriose, qui sic incipit: «Sicut cedrus exaltata sum in Lybano»,²⁷ Magistri Hainrici de Hassia, sacre theologie professoris examini uniuersitatis Parisiensis, qui fuit unus de primis doctoribus sacre pagine, cum quibus solemnis uniuersitas Wiennensis fuit feliciter inchoata, et ibidem vixit quasi triginta annis, ubi inter cetera in prefato Sermone loquitur de triplici Lybano, in quorum quolibet Virgo gloria egregiis extollitur laudibus etc.

E x c e p t u m

(Si tercio queratur, ubi beata Virgo laudis preconio eleuatur et virtutis premio coronatur et mentis iubilo veneratur, respondetur in themate nostro, quod in monte Lybano. Hic dimissis concordanciis et aliis diuisionibus in hoc stemus, quod in omnibus iam dictis dignitatum titulis et virtutum excellenciis virgo Maria, de cuius gloria et exaltacione ad celestia regna hodie solempnizat uniuersalis ecclesia, creditur testificacionibus Sanctorum, scripturis exaltata super omnem racionalis nature create ypostasim et hoc in triplici monte Lybano. Pro quo notandum est, quod, quia Lybanus interpretatur candidus vel candor vel albus, allegorice loquendo **triplex Lybanus** designari potest, in quorum quolibet Virgo gloria egregiis extollitur laudibus. **Primus** ergo Lybanus est nouus Israel, i.e. populus christianus ceteris populis dignitate sublimior, celesti lumine candidus. **Secundus** Lybanus est eminentis beatorum situs, ubi sublimiter thronus matri Dei est positus, canore lucis eterne fulgidus).

Tercius²⁸ vero Lybanus esse potest venerabilis ordo fratrum de monte Carmelo, ordo quidem habitu albus, vita et doctrina sublimis, Marie Dei genetrici specialiter dedicatus et attributus ex causis et rationibus, que habentur in libro, qui vocatur «**S p e c u**

²⁶ Vide codices 4017, fol. 96rv; 4226, fol. 321r; 4426, fol. 46rv; 4873, fol. 55rv. Qui codices in editione nostra ordine, quo eos modo enumeravimus, servato sigla habent **A B C D**; codex vero 4904, cui Matthias Fabri fol. 262rv Excerptum suum inseruit, apud nos **E** dicitur.

²⁷ Eccli 24, 17.

²⁸ Hic incipit Excerptum Matthiae Fabri. Vide cod. 4904, fol. 262r.

lum ordinis» istius.²⁹ In tertio monte Lybano resonant iugiter organa laudis ante thronum huius Virginis die ac nocte. In hoc monte, i.e. in hac eminenti religione, habitant Dei genetricis virginis Marie cultores precipui et omnium virtutum et perfectionum eius

²⁹ *Speculum ordinis Carmelitarum* praeclarum illud opus esse videtur, quod PHILIPPUS RIBOTI (cognomine hispanico Ribot), O. Carm. prior provincialis Cataloniae, e quatuor auctorum vetustiorum tractatibus inter se convenienter adaptatis compilavit et in decem libros distinctum anno 1370, ut ipse in fine capituli 5, libri 10. (cf. Danielis a Virgine Maria Speculum, de quo infra, vol. I, pag. 111) testatur, in lucem eddiit. «Zelo sui ordinis incensus», ut IOANNES BAPT. DE LEZANA, *Annales sacri prophetic Eliani ordinis B. Virginis Mariae de monte Carmeli*, tom. I., Romae, 1645, pag. 144, memoriae tradit, «celebre illud volumen Speculum ordinis appellatum composuit, in quo, quae de ipso Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha, B. Cyrilus Constantinopolitanus, Guillielmus de Samuco et Sibertus de Beka scripserunt, decem libris compilavit». Quae quidem scripta sunt: Primum Liber de institutione primorum monachorum, qui nomini Ioannis, episcopi Hierosolymitani (386-417), a Lezana aliisque addicebatur, dein Epistola ad Eusebium abb. de processu et variis regulis O. Carm. a S. Cyrillo Constantinopolitano († 1234), tertio post S. Brocardum priore generali Carmelitarum, scripta, tum celeberrima chronica de multiplicatione religiosorum Carmelitarum a Guillermo de Samuco, alias de Sanvico (Sandwich), O. Carm. Terrae Sanctae priore provinciali († ca. 1300), elucubrata, denique Siberti de Beka, Gelriensis († 1332), O. Carm. prioris provincialis Germaniae inferioris, Considerationes super regulam Carmelitarum. Praeclarum illud volumen decem librorum a Philippo Ribot anno 1370 compositum et generali vocabulo «Speculum ordinis Carmelitarum» nuncupatum, in quo huius ordinis primaeva institutio, successio, eventus varii, habitus, regula transmigratio in Europam, confirmatio, exemptio (cf. DANIELEM A VIRGINE MARIA, de quo infra, vol. I., pag. 1) latius et diffusius traduntur, primo quidem, quamvis vitiouse, Venetiis anno 1507 a Ioanne Bapt. de Cathaneis typis editum est, denuo autem idque diligentissima collatione ad fidem veterum codicium manu scriptorum facta et notis adiectis mendisque librariorum sublati excusum est in historia Eliani ordinis Carmelitarum a DANIELE A VIRGINE MARIA, Carmeli Flandro-Belgici ex-priore provinciali, compilata, quae *Speculum Carmelitanum* inscribitur. In cuius *Speculi* tomo I., Antverpiae anno 1680 emissio Philippi Riboti decem libri in partis I. pagg. 7-114 (a num. 14 usque ad num. 498) typis descripti sunt. Henricus de Langenstein in Sermone suo sextum potissimum horum librorum ante oculos habet, cui titulus est: «De virginе Deipara eiusque puritate ab originali peccato, olim typo nubeculae S. Prophetæ Eliae, et per eum suis discipulis revelata: cui propterea peculiariter famulati et ab ea intitulati fuerunt: et de aliis eorum nomenclaturis»; cf. DANIELIS A VIRGINE MARIA *Speculum Carmelitanum*, pag. 54-63 (num. 213-252). In libro septimo de habitu huius ordinis eiusque significatione et in libro octavo de regula ordinis agitur (apud Danielem, pag. 64-71, n. 253-287, resp. pag. 72-94, n. 288-398).

Ceterum litteris gratissimis R. P. Creytens. O.P., nuperime acceptis, qui a nobis rogatus Romae *Speculum ordinis fratrum Carmelitarum* Venetiis anno 1507 per JOHANNEM BAPT. DE CATHANEIS typis editum accurate inspexit, monemur hoc *Speculum* non esse conscriptum, ut auctoritate Danielis a Virgine Maria (cf. eius *Speculum* l. c. pag. 6, num. 13) et B. ZIMMERMANN, *Dicit. de Théol. Cath.*, II., 1789) moti supra posuimus, a Philippo Ribot, sed a fratre Johanne de Chimineto, lectore sacrae theologiae (Joh. de Chimineto, O. Carm.: sententiarius 1336, prof. 1339; cf. G. WESSELS, *Acta capitularum generalium Ordinis Fratrum B. V. Mariae de Monte Carmelo*,

elucidatores³⁰ doctissimi atque ipsius fortissimi defensores in tantum, quod potenter obstruunt et silere faciunt ora³¹ loquencium iniqua,³² ubi et quo ciens dignitati³³ et honori sue patronae derogari percipiunt. Nonne iam horum fortitudine et multitudine attoniti³⁴ tacent Nestoriani³⁵ heretici, qui Virginem Matrem non Dei, sed hominis tantummodo asseruerunt genitricem? Obmutescunt Valentiniani,³⁶ qui Christum de Virgine nichil carnis assumpsisse asserunt, sed per eam sicut per fistulam transisse. Confunduntur et Fotiniani,³⁷ conuincuntur Eluidiani³⁸ et prosternuntur Carpocracianni,³⁹ qui omnes in virginitatis⁴⁰ gloriam Matris⁴¹ Domini os iniquum aperuerunt,⁴² ut patet ex doctoribus, qui de antiquis tractauerunt heresibus, ut Ysidorus⁴³ et alii.

Rursus veniendo ad modernos reperio, quod dictorum singularium militum regine celestis strenuitate fortiter impugnantur

tom. I., Romae, 1914, 34 et B. ZIMMERMANN *Monumenta historica Carmelitana*, Lérins, 1907, 425). Ita sane fieri potuit, ut Henricus de Langenstein *Speculo* ordinis Carmelitani, cuius in Sermone suo eundem ordinem collaudans meminit, librum Johannis de Chiminetu designaret. Haec iis, quae supra de *Speculo* Carmelitarum exposuimus litteris illis commoti, adicienda esse ducimus, quin quidquam de ratione, qua opera Johannis de Chiminetu et Philippi Ribot inter se componantur, utpote cum alienum sit a proposito nostro, statuere cogitemus.

Johannes de Chiminetu in capite 4. libri sui, qui incipit: « Filii sanctorum estis fratres huius sanctae religionis professores... », querit: « Quare ordo beatae Mariae virginis vocatur? » et respondet (fol. 50v): « Fratres vero tempore, quo ecclesia per totam iudeam et samariam edificabatur, post ascensionem domini in eodem monte [sc. Carmeli] iuxta quandam fontem ubi habitavit Helyas, oratorium in honore beatae Mariae virginis primi construxerunt. Deinde processu temporis, cum ordo beati Benedicti multiplicari cepisset, quidam monachi ordinis predicti in monte Carmeli volentes habitare, capellam in honore beatae virginis Margaritae [sic!] construxerunt; idcirco ut sancti monachi a fratribus predictis discernerentur, tam ipse locus qui fons Helye dicitur, quam ipsi fratres, ordinis beatae Mariae virginis, ab omnibus consuevit [sic!] appellari. Unde et sancta sedes apostolica praemissis rationibus diligenter inspectis huic religioni titulum beatae Mariae virginis per litteras suas solenniter appropriari decrevit ».

³⁰ elucidatores] illucidatores C.

³¹ faciunt ora] fatiunt (!) de ea E.

³² Ps 62, 12.

³³ dignitati] sue add. B C.

³⁴ attoniti] actonici A B, attonice D.

³⁵ Nestoriani] nescoria B.

³⁶ Valentiniani] valencianii B, valençianiani D.

³⁷ Fotiniani] fotimai B, fortiniani C, fociniani D; sectatores Photini (cf. notam 23).

³⁸ Eluidiani] Eluidyanii A, elyndiai B, elundiani C, eludiani D.

³⁹ Carpocracianni] Carpocraciani B C, Carpotationi E.

⁴⁰ virginitatis] virginitatem matris C.

⁴¹ matris] om. C.

⁴² aperuerunt] apperuerunt C E.

⁴³ Ysidorus] hesidorus D. Cf. Isidori, episcopi Hispalensis († 636), librum, qui incribitur *De haeresibus* (Inc. « Primum autem quid inter orthodoxum »), editum ab A. C. VEGA, Escorial 1940.

illi, qui eam in originali peccato conceptam opinantur;⁴⁴ et iterum illi, qui eius corpus sanctissimum post mortem in cineres et vermes dicere presumunt resolutum. Sic et alii uniuersi ab iisden impugnantur viriliter, qui quoouis modo priuilegiis et prerogatiuis specialibus virginis Marie suis quibuscumque opinionibus⁴⁵ derogare moluntur.⁴⁶

Unde propter hoc, quinquo hiis longe maiora sacra religio ista, indubitanter ex discipulis prophetarum inchoata, patrum religiositate specialiter formata, tanta⁴⁷ patrona dignificata, antiquitate ceteris religionibus prelata et certe ob hoc⁴⁸ racionabiliter a sede apostolica approbata [est], ut congrue de ista religione exponi possit illud Ysaie 35: «Gloria Lybani, decor Carmeli et Saron data est ei».⁴⁹ «Gloria Lybani», i. e. candor intelligentie et dealbacio innocentie; «decor Carmeli», i. e. cognitio circumcise et arte vite spiritualis; «decor Saron», i. e. cantus lugubris penitencie; Carmelus enim interpretatur omnium cognoscens circumcisionem et Saron cantans tristiciam.

Merito ergo inter ceteras religiones ista religio venerabilis singulari deuocione est fidelibus amplexanda et a tam potentum principum fauoribus⁵⁰ ad honorem Virginis gloriose est singularius⁵¹ promouenda et amplexanda. Et quid multa? Utique felix ille principatus, felix patria, felix ciuitas, in qua hec religio plantata fructum germinat salutarem sciencia salubri et vita spirituali populum Dei iugiter edificando et ad perfectum usque perducendo.⁵² Qui quidem populus ex hac religione in spiritualibus ditatus de tali religione congrue dicere potest⁵³ illud Sapientie 7: «Venerunt michi omnia bona pariter cum illa»⁵⁴ Et hec de laudis preconio, quo extollitur Virgo gloriosa in illo tercio Lybano.

P. CAROLUS IOANNES JELLOUSCHEK O.S.B.

⁴⁴ opinantur] oppinantur E.

⁴⁵ opinionibus] oppinionibus E.

⁴⁶ moluntur] molliuntur B E.

⁴⁷ tanta] tandem E.

⁴⁸ quae sequuntur, vide cod. 4904, fol. 262v!

⁴⁹ Is 35,2.

⁵⁰ et a.... fauoribus] et principum atque potentum fauoribus A B C.

⁵¹ singularius] singularibus A B.

⁵² perducendo] producendo E.

⁵³ potest] valet A.

⁵⁴ Sap 7, 11.